

523.027







S Y S T E M A  
R E I S C H O L A S T I C A E  
EVANGELICORUM AUG. CONF.  
I N H U N G A R I A.

---

Et ordinem  
Rectum evaganti frena licentiae  
Iniecit: emovitque culpas,  
Et veteres revocavit artes.

*Horat. Carm. IV, 15.*

523023

SYSTEMA  
REISCHOLASTICAE  
EVANGELICORUM VNG. CONC.  
IN HUNGARIA

Original  
Recensio et argumentum in primis licet  
Institutio exercitanda quibus  
Exegetes locosavit sive  
Moralis Causa 1A.

## PROOEMIUM.

### §. I.

**F**inis, ad quem totam institutionis scholasticae rationem referendam esse liquet, alter *generalis* est, *specialis* alter. *Ille* ludis literarum omnibus, cuiuscunque lnt generis, communis, eo pertinet, vt corpori animoque iuvenili a natura insitae vires cunctae recta exercitatione perficiantur atque firmantur, sensus honesti pravique acuatur, voluntas ad virtutis studium, cognitis clare morum principiis, ad religionis, principis patriæque amorem ducatur, atque hoc modo iuventus nostra ad veram conformetur humanitatem. *Specialis* autem finis variat pro diversis vitæ negotiorumque generibus, quibus apti & idonei homines in Scholis educandi atque erudiendi sunt.

*Aliæ* nempe Scholæ, præter communem illum omnibus finem, speciatim eo tendere debent, vt *colonos* & *opifices ruristres* habiles, probos & sua sorte contentos eduent. *Aliarum* is proprius est scopus, vt in illis erudiantur formenturque *Cives* apti, ad negotia domestica & rem familiarem recte procurandam, ad mercaturam, ad artes, ad opificia postea recte condiscenda & feliciter tractanda; ad exercendam ruri œconomiam seu propriam, seu aliorum; ad munia varia in oppidis, vribusve minoribus obeunda: ad statum denique militarem. In *aliis* institutis literariis omnia eo dirigenda sunt, vt ex iis prodent adolescentes non tantum ingenii animique viribus bene exercitatis, recte firmatis et ad omnem humanitatem, prudentiam ac probitatem excultis, sed qui etiam fundamenta omnis eruditionis plene cognita habeant, atque notitiis sinceris clarisque earum rerum imbuti sint, quarum & ad diversa munia negotiaque graviora publica, & ad varios usus vitæ civilis cultioris, & ad veram eruditionem comparandam atque provehendam perpetua est necessitas. *Aliæ* denique hoc sibi propositum habent, vt sexus sequioris sobolem destinationi suæ humanitatisque principiis convenienter instituant atque eduent.

Qui præter hos in diversis institutis literariis obtineri queunt fines, ambitum Systematis, quo Scholæ Protestantium in Regno Hungariae ordinandæ sunt, excedere videntur. Neque enim hactenus necessitas exigit, neque res nostra admittit, vt *Scholas militares*, *mercatorias*, *geometricas* cet. constituamus, quæ potius ad totius Regni curas spectant, quod si has condiderit, nostrates quoque in illis partem capere poterunt.

### §. 2.

Ex institutione publica variis finibus supra memoratis conformata, quatuor enascuntur Scholarum genera:

- I. Scholæ rurales, Land-Schulen.
- II. Scholæ civicæ, Bürger-Schulen.
- III. Scholæ latinæ seu Eruditorum, Gelehrten-Schulen.
- IV. Scholæ puellarum, Mädchen-Schulen.

Hæc igitur, respectu habito *finis illius specialis*, differunt inter se

- a) disciplinarum, quæ in singulis tractandæ sunt, delectu; atque adeo etiam
- b) adminiculis literariis, quibus ad illas docendas eagent.
- c) methodo easdem tractandi.
- d) ætate discipulorum, qua ad illas accedere, & tempore, quod ibi exigere debent.
- e) Magistrorum ac Professorum numero.

Quæ tamen cuncta simul eo dirigenda & ita temperanda sunt, vt vbiique finis ille, quem institutioni scholasticæ univer- sim præfixum & omnibus adeo Scholis communem esse debere dicebamus, religiose spectetur.

### §. 3.

Vt vero commoda, quæ ex recta institutione publica in iuuentutem scholasticam, & inde in totam rempubl, redundare possunt, plene obtineantur, sapiente atque efficaci *gubernatione rei scholasticæ* opus est. Huic nempe curæ sit:

- a) Vt præstantes aptique ad docendam educandamque iuuentutem Magistri adsint, proinde tales formentur & diligantur.
- b) Vt omnes, quibus aliquae in institutione publica partes sunt, ad officia sua rite alacriterque obeunda exstimulentur & adstringantur.
- c) Vt prudente graveque disciplina pubes scholastica continetur, & ad institutiones publicas cum fructu excipiendas perducatur.
- d) Vt nævos ac defectus, qui in Systemate rei literariæ semel introducto observati fuerint, suppleat ac emendet, donec illud iterum novæ censuræ subiiciatur, quod quolibet quinquennio fieri oportet.
- e) Vt fundus, seu pecuniaria Subsidia pro his omnibus efficiendis adsint, eaque recte administrentur.

## SECTIO PRIMA.

### De institutione scholastica.

#### CAPUT I<sup>mum</sup>.

##### De Scholis ruralibus, Land-Schulen.

#### §. 4.

*Quid in his Scholis spectandum?*

**O**mnia, quæ ad recte ordinandas Scholas rurales hic proponi possunt, consilia, eo duntaxat pertinent, vt eprole rustica formentur

1.) *Homines validi*, qui regulas quoque præcipuas tueri sanitatis noscant, prudentes, liberi a superstitionibus noctis, prædicti animo a ferocitate alieno atque ad temperantiam, honesti iustique sensum exculto; boni denique patresfamilias.

2.) *Christiani* ea religionis suæ cognitione imbuti, quæ cuncta officia, tamquam voluntatis divinæ præcepta, ipsis reddit sanctiora & faciliora, sensus excitet pios, conscientiam regat, in secundis præstet moderatos, in adversis animos erigat. cet.

3.) *Ruricolae vel opifices rusticani agiles*, industrii, operum suorum periti, forte sua contenti, qui denique officia status sui & bene noscant & accurate obseruent.

### §. 5.

*Quænam in hunc finem docenda & agenda sunt?*

In hunc finem sequentia hic tractanda erunt:

1.) Exercenda est attentio, intelligendi discernendique facultas & memoria teneræ proli.

2.) Erudienda est in noscendis ac recte clareque pronunciandis literis, colligendis syllabis ac vocibus, legendisque libris typo excusis & manuscriptis,

3.) in arte recte nitideque scribendi,

4.) in principiis arithmeticæ ad usus rusticos applicatæ.

5.) Docenda sunt linguae vernaculae præcepta maxime necessaria, ut puer non modo promte, sed etiam bene loqui & commode scripta concinnare discat. Si hungarica aut germanica lingua non sit vernacula, harum quoque institutiones sunt vrgendæ.

6.) Religionis doctrina cum historia biblica & lectione S. Scripturæ.

7.) Lectio & popularis socratica methodo instituta explicatio Libri lectorii (Lesebuch) pro his scholis concinnandi, qui complectatur reliquas notitias rustico homini in Hungaria necessarias.

8.) Apocharum, epistolarum, rationum, aliarumque Scripturarum in vita rustica obviarum formæ ostendantur, in quibus pueri se exerceant.

9.) Cantus doceatur.

10. Etiam experimenta physico — œconomia, prout & gymnastica exercitia, cum pueris suscipienda sunt, quotiescumque id temporis ratio admittit.

### §. 6.

*Aetas discipulorum & classes.*

Ad has Scholas mitti debent rusticorum pueri & puellæ a 6to vel 7mo anno ætatis, ut eas, prouti magis vel minus celeres progressus fecerint, 11. vel 12. ætatis anno terminare possint, quo postea ad S. Eucharistiæ usum bene præparati pri-

mum admittentur. Materiæ vero supra adsignatæ tunc tantum rite doceri poterunt, si iuventus in *tres Classes* distributa fuerit, quarum

*I. Classis* comprehendet *Initiantes*, quibuscum tractabantur:

- 1.) Exercitia attentionis, intellectus, memoriæ cet.
- 2.) Literarum cognitio, compositio, lectio.
- 3.) Numerorum cognitio, series, compositiones faciliiores mente conceptæ (*Kopfrechnen.*)
- 4.) Scriptura.
- 5.) Intererunt etiam institutionibus religionis & morum cum Classe II.

*II. Classis* complectetur Legentes, quibuscum

- 1.) Continuantur exercitationes intelligendi facultatis cet.
- 2.) — — — legendi exercitia iam e libro lectorio.
- 3.) — — — scribendi exercitia.
- 4.) Prima et maxime necessaria Grammaticæ hungaricæ & germanicæ præcepta explicantur.
- 5.) Arithmeticæ species quatuor docentur.
- 6.) Pensa clare explicata memoriae mandantur domi.
- 7.) Traduntur prima religionis & morum principia.
- 8.) Adfunt etiam in explicatione historiæ biblicæ cum Classe III.

9.) Discunt Cantum.

10.) Interdum diebus feriarum, magistro duce, gymnastica discent exercitia, quæ postea exercitati ipsi soli sœpius suscipere possunt.

*III. Classis* est *Maturiorum*. Hæc

- 1.) Continuabit orthographiæ & calligraphiæ exercitia.
- 2.) Exercebitur in scribendis & concinnandis epistolis, apocesis, rationibus similibusque scriptorum generibus in vita rustica obviis.
- 3.) Continuabit arithmeticæ præcepta de fractionibus, regula trium, societatis.
- 4.) Pensa bene explicata memoriae mandabit domi.
- 5.) Exercitationes Cantus continuabit.
- 6.) Frequentiorem instituet lectionem libri lectorii, a magistro tollerter dialogice explicandi.

Adhæc accedit 7.) uberior religionis & morum doctrina.

- 8.) Historia biblica & S. Scripturæ lectio.
- 9.) Sermonis sacri repetitio.
- 10.) Explicatio pericoparum evangelicarum & epistolicarum.
- 11.) Linguæ hungar. & germ. continuata institutio usque.

### §. 7.

#### *Libri Scholastici.*

*Pro prima Classe:* 1.) Tabula alphabeti magna, ita adornata, quemadmodum Stephani's stehende Wandfibel. Hæc in Schola appendatur.

2.) Li-

2.) Libellus alphabeticus parvus, pro Hungaris quoque elaborandus, qualis est pro Germanis Salzmann's vel Stephanis Fibel, & pro Slavis ille, quem A. R. D. Botzko edidit.

3.) Formulæ calligraphicæ, quæ Posonii apud S. P. Weber prodierunt, in parte germanica emendandæ.

*Pro II. & III. Classe.*

1.) *Liber lectorius, Lesebuch*, nunc conscribendus, qui contineat:

a) Rerum naturalium utilissimas notitias, velut corporis humani, cum regulis diæteticis præcipuis; eorum, quæ nos circumdant, animantium, plantarum, fossilium, cum primis terræ specierum, descriptiones breves, populares, ad sapientiam, bonitatemque Dei admirandam directæ, de cœlo, sideribus, aquis, de continente terra, eiusque partibus generalibus; de elementis, phænomenisque naturæ præcipuis, de animo humano, qui cuncta hæc contemplatur, sentit, cogitat, appetit vel aversatur, agit.

b) Humanarum necessitatum expositionem, victus, amictus, culturæ, religionis, pacis cet. & quibus modis iis succurratur per agriculturam, opificia, artes, diversos status & magistratus in societate civili.

c) Officia iustitiae, æquitatis, amoris — in societate naturali & civili, erga parentes, heros, coniuges, dominos terrestres, magistratus; additis etiam legibus patriæ civilibus & ecclesiasticis illis, quæ ad rusticum pertinent, eumque contra pericula peccandi tutum præstent.

d) Morales narratiunculas, quae virtutes potissimum vitæ domesticæ commendent, a vitiis huic hominum generi maxime communibus avocent, adnexit etiam regulis quibusdam modestiæ ac decentiæ, cantilenisque ad hilaritatem cum virtute coniunctam excitandam aptis.

e) Aliqua ex œconomia rustica, eius regulas aliquas generales, exempla rusticæ arithmeticæ, mensurarum apud nos visitatarum species, cum brevi applicatione ad mensurandam longitudinem, superficiem corporum cet. nec non succinctas notiones vectis, cunei, cochleæ, trochleæ, polyspasti &c.

f) Exemplaria quædam epistolarum, syngrapharum & similiūm scripturarum, ad rationes rusticæ pertinentium.

2. *Libellus religionis ac morum doctrinam complectens*, itidem recenter elaborandus, ita, vt communis sit omnibus tam ruralium, quam civicarum, Scholarum Classibus elementariis. Hic comprehendenderet

a) *prima religionis elementa pro I. & II. Classe (Religion der Unmündigen)*

b) *Catechismum Lutheri explicatum ita, vt pleniorum religionis nostræ notitiam, quoad dogmata & officia christiana exhibeat.*

c) *Historiam biblicam & religionis usque ad nostra tempora, præmissa brevi tabella chronologica, (velut in Rochow Versuch eius Schulbuchs.)*

d) *Hymnos quosdam sacros.*



3.) *Tabulae exemplorum arithmeticorum (Rechentafeln) quales Junker & Käppel ediderunt, quae tamen magis usibus Magistri deserviunt.*

### §. 8.

*Quomodo & quatenus singula haec docenda sunt?*

Neque methodus, quam in tractandis hisce materiis, accommodare ad fines supramemoratos educandae pubis rusticæ, sequi oporteat, neque limites, ad quos usque haec institutio perducenda sit, Magistris peritis ac prudentibus ignota esse possunt. Quo tamen omnes clarius, eodemque modo perspiciant, quid per materias & exercitationes in hoc Systemate praescriptas intelligendum sit, ut porro consilia suppeditentur præser-tim imperitoribus adhuc Magistris, quomodo secundum experientiam & mentem probatissimorum in hoc genere virorum institutiones suas dirigere & officiis suis plene satisfacere possint: elaboranda esset per viros rei scholasticæ & literaturæ paedagogicæ apprime gñaros *Methodologia Scholastica*. seu clara & ad genuina principia educationis exacta expositio methodi, quam Magistros Scholarum elementarium tum in tradendis & distribuendis disciplinis, tum in aliis cum iuventute suscipien-dis exercitationibus & occupationibus sequi oporteat.

### §. 9.

*Magistrorum numerus & delectus.*

Si Ecclesia aliqua plures, quam *unum*, Ludimagistros honeste alere non possit, sufficiet hic quoque docendæ iuventuti vtriusque sexus numerosiori, per omnes Classes; dummodo

1.) non assumatur pro docente opifex vel rusticus rudis & pravæ indolis, sed vir talis, qui pro hoc munere adeo gravi atque utili bene paratus sit, eo, quem infra exponemus, modo.

2.) Si de vita honeste ac sine cura & sollicitudine agenda ei prospectum fuerit, ne aliis modis sibi vitae subsidia querere cogatur.

3.) Si V.D. Minister doctrinam religionis in Schola tradendam in se receperit, id quod ubique fieri oportet, ubi Schola in matre Ecclesia est.

4.) Si Ludimagister lectiones suas ita ordinaverit, ut, diebus Mercurii & Sabbathi, quibus a meridie vacat, exceptis, quotidie sex horas scholæ tribuat: Classi vero I<sup>ma</sup> quotidie primam horam institutionis ante & post meridiem consecret, qua durante II. & III. Classis vel scribendo vel arithmeticis exemplis elaborandis occupanda erit. Finita hac hora parvuli e Schola dimittantur, quod naturali vivacitati huius ætatis maxime convenit. Ita enim fiet, ut maius silentium durante institutione maiorum discipulorum conservetur, & parvuli sensim scholæ adsuescant, neque longæ moræ impatientia ad-

fligantur, quæ inquietam, distractam mentem, nugacitatem, pravas cogitationes, præcipue vero tedium rerum scholasticarum in tenellis animis parit.

Licebit etiam pro re nata Scholam in duas classes partiri, ita ut pueri paulum adultiores (ad II. & III. Classem pertinentes) duntaxat matutinis; iuniores autem, qui per ætatem nondum possunt esse parentibus auxilio, postmeridianis horis erudiantur.

Si vero aliqua Ecclesia duos Institutores, alterum Cantorem, Ludimagistrum alterum, commode sustentare potest, I. & II. Classis vtriusque sexus a Cantore, III. a Ludimagistro instituatur, doctrina religionis VDMinistro relicta. In eiusmodi schola iam scripturarum varii generis, vernaculae & aliarum linguarum in Hung. visitatarum maior haberi debet ratio; præterea brevis opisiorum & instrumentorum ad vitæ necessitates utilium descriptio, geographia elementaris, historia naturalis cœconomica practica tradi possent, quæ alteram quasi partem Libri lectorii efficerent. Accedere posset etiam aliquantum ex arte delineandi. Horis privatis denique linguae latinae rudimenta exponi possent selectioribus pueris, quales sunt Nobilium ruri degentium, filii & alii, qui singulare prædicti ingenio gradum aliquando facturi censemur ad Scholas latinas.

#### §. 10.

#### *Scholæ dominicales, Sonntags-Schulen.*

Ad hæc, ne seu adultior ætas ex Scholis dimissa, eorum, quæ didicit, obliviscatur, seu ea iuventutis pars, quæ variis de causis ad optatam in rerum necessariarum cognitione maturitatem in ipsis Scholis pervenire non poterat, prorsus negligatur, statuendum est, ut diebus sacris, ante vel post cultum divinum publicum, Scholæ habeantur dominicales, in quibus iuventus maturior, ductu Ludimagistri vel VDMinistri, ea, quæ in Scholis didicit, repeatat, perfectius percipiat ac modum illa in vita communis adplicandi discat. Ita iuventus rustica non modo permulta utilissima condiscere potest, sed præsertim etiam diem Domini Christianis & bene moratis hominibus magis condignatione transigere adsuetet. —

#### C A P U T II.

#### *De Scholis civicis, Bürger-Schulen.*

#### §. 11.

#### *Quid in his spectandum?*

Finis; ad quem cuncta Scholarum civicarum instituta tendere debent, is est, ut discipuli evadant



1.) *Homines sani, valetudinis suæ tuendæ gnari, intelligentes, prudentes, æQUITATIS iUSTITIÆQUE STUDIOSI & in vniversum probi, bene morati, religionis suæ patriæQUE, quam vtramque recte norint, ac Principis vere amantes.*

2.) *Cives industrii, iisque mentis & corporis facultatibus ac rerum notitiis instructi, quibus ad artes, ad mercaturam, ad opificia, ad œconomiam & alia vitæ civilis negotia solide ad-discenda, feliciter tractanda, ac fortassis perficienda quoque probe adiuventur; qui denique apti sint etiam ad munia varia in oppidis, vrbibusve gerenda, præsertim, accedente ad hæc artis pædagogicæ & catecheticæ cognitione atque vſu, ad officia Ludimagistrorum in Scholis elementaribus.*

3.) *Ii denique, qui scientiarum, eruditionisque ampliores emetiri dèſiderant campos, ad Scholas latinas bene præparati ascendant, ibique optatos faciant progressus.*

### §. 12.

*Quaenam in hunc finem agenda & docenda sunt?*

Quamobrem in eiusmodi Scholarum primis duabus Classibus eadem disciplinæ & exercitationes, quæ in Scholis ruralibus, locum habent, pari modo tractandæ sunt, eo solum discrimine, quod in maioribus vrbibus proprii singulis his Classibus præfint Magistri, qui & plus temporis & plus attentionis curæque quibuslibet partibus rectius explicandis perficiendisque, & toti libro lectorio absolvendo, tribuere possunt. Neque vero prius ullo sub prætextu tirones translocandi sunt ad sequentes Clas-ſes, quam in omnibus disciplinis primarum Classium bene fuerint versati atque promti, id quod plerosque duobus certe annis in qualibet Classe remanere coget.

Ad ceteras porro scientias, artes notitiasque, scopum institutorum talium proprius contingentes, recte pleneque tractandas *duae præterea altiores* requiruntur *Clas-ſes biennes*, ita ut

*III. quæ priores excipit, Classis, in sequentibus argumentis discipulos exerceat.*

1.) in formandis, explicandisque notionibus abstractis seu conceptibus universalibus, quæ in vita communi occurruunt: e. gr. veri, probabilis, virtutis cet. porro in iudiciis evolvendis applicandisque.

2.) in religionis doctrina uberiore, secundum libellum religionarium supra memoratum.

3.) in legendo, observata modulatione vocis recta.

4.) in calligraphia, orthographia & tachygraphia.

5.) in variis scriptionum elaborandarum formis, (schriftliche Auffâze.) —

6.) in arithmeticâ memoriali; resolutione & reductione monetalium, ponderum, mensurarum, in arithmeticâ applicata, in fractionibus, regula trium.

7.) in historia naturali & anthropologia.

8.) in technologiæ ea parte, quæ diversorum opificum notitiam exhibit.

9.) in geographia, primum generatim de quinque orbis partibus, de Europæ præcipuis regnis; speciatim de Hungaria, distinctionibus austriacis & Germania.

10.) in grammatica linguae germanicæ & hungaricæ.

11.) in grammaticæ linguae latinæ elementis, cum versione & loquendi exercitiis facilioribus.

Ex hac Classe tertia illi, qui vltiorem eruditionis metam, prosequi cupiunt, ad Scholas latinas gressum figunt; illi vero, qui ad vitæ stricte civilis negotia se proprius parare volunt, ad quartam Classem civicam transeunt.

*IV. Classis civicae hæc erunt Studia, duorum annorum cursu absolvenda.*

1.) Religionis doctrina dogmatica & moralis, secundum Dietrichs Unterweisung, coniuncta cum explicatione multorum S. Scripturæ locorum & hymnorum, qui memoriæ mandari debent.

2.) Orthographiæ (præsertim interpunctionum), calligraphiae & tachygraphiæ exercitia.

3.) Epistolographia, extractum, quietantiarum seu apocharum contractuum &c. elaboratio.

4.) Arithmetica memorialis continuata, regula societatis, aurea cet.

5.) Historia naturalis uberior, coniuncta cum

6.) Technologiæ ea parte, quæ de productorum naturalium cultura, præparatione & applicatione agit.

7.) Historiæ universalis brevis conspectus, secundum Dolzii libellum.

8.) Historia Hungariæ succincta, cum populari Statistica & legum præcipuarum domesticarum notitia.

9.) Physica popularis.

10.) Geographia reliquorum Europæ regnum & aliarum Orbis partium.

11.) Anthropologia & Psychologia, cum principiis maxime necessariis artis educandi.

12.) Geometria & mechanica popularis, sec. Junkeri & Viethi libellos.

13.) Latinæ linguæ grammatica, sec. Bröderi librum, cum exercitiis variationum, dialogorum cet.

14.) Ars delineandi.

### §. 13.

#### *Libri scholastici & alia adminicula.*

Pro primis duabus Classibus iidem retinentur libri, qui pro Scholis ruralibus commendabantur; neque enim augendum putamus in his minoribus Scholis numerum libellorum, quo tanto minori pretio parari queant.

Pro superioribus vero Classibus sequentes libri erunt commendandi:



1. Seiler's biblische Geschichte, vel Rosenmüller's Religions Geschichte für Kinder.

2. Dietrich's Unterweisung zur Glückseligkeit.

3. Funke's Naturgeschichte und Technologie.

4. Junker's Handbuch der Physik.

5. Gaspari's Geographie, 1ter und 2ter Cursus.

6. Junker's Geometrie und Vieth's Mechanik.

7. Dolz allg. Menschengeschichte für Bürgerschulen.

8. Bröder's lateinische Grammatik.

Præter hos libros vero necessaria sunt:

1. Apparatus aliquis instrumentorum mathem. & physicorum.

2. Collectio mineralium, & pro regno animali ac vegetabili tabularum æri incifarum maiorum.

3. Collectio mapparum geographicarum.

4. Exemplaria delineationum, Musterzeichnungen.

§. 14.

*Qua lingua haec omnia docenda sunt?*

Difficultates, quæ hic ex plurium nationum, vnam eandemque urbem saepe incolentium, linguarum diversitate nascuntur, hoc modo solvendæ videntur.

1.) In urbibus, vbi idioma hungaricum regnat, hac lingua omnia doceri debent; si qui tamen Germani ibi essent, eorum in technicis & cœconomicis nomenclationibus habeatur ratio.

2.) In urbibus, vbi germanica lingua potior est, hæc sit adminiculum doctionis in scholis elementaribus civicis, ratione tamen habita Hungarorum & Slavorum in religionis doctrina & nominibus technicis.

3.) In urbibus, quarum plebs maiorem partem slavica est, Honoratores vero quique Germani, Scholas elementares oportet esse germanicas; slavicæ linguae ratione tantum in religionis doctrina & vocabulis technicis habita.

§. 15.

*Docentium numerus ac delectus.*

Quum tales Scholæ civicæ maiores apud nos tantum iis in locis deprehendantur, quæ simul Gymnasiis aut Lyceis provisa sunt, docentes I. & II. & III. Classis elementaris assumendi erunt *Candidati Magisterii*, id est: Studiosi tales, qui vel absolute IVta Classe civica & postea cursu pædagogico in Lyceo, vel absolutis omnibus Gymnasii Classibus & æque postea cursu pædagogico in Lyceo, nunc ad usum & praxin prædagogicam transire debent. Hi sub inspectione curaque singulari Professoris artis pædagogicæ & Rectoris Scholæ istas Classes docebunt uno altero anno, donec scilicet quisque ipsorum vel aptus iudicatus fuerit pro hoc officio, vel evocatus ad aliud actuale Ludimagistri officium, ad quod tales præ ceteris postea ius quæsumum

situm habebunt. Hi, quamdiu tali Classi præfuerint, in Convictu vel alumneo victu providendi & 50 vel 60 florenorum Stipendio auctorandi sunt, præter quod didactra discipulorum ipsis cederent, & privatæ lectiones in opulentioribus familiis, ad quas ipsum munus docentis publici magna esset commendatio, honeste vivendi modum suppeditarent. Comoda ex hoc instituto profluentia magna sane sunt:

*Primum* enim tres novi Magistri sine magna impensa Scholæ accedunt, quo fit, ut in singulis Classibus accuratius & plenius ea tractentur, quæ ipsis proposita sunt, quam si unus docens plures coniungere debeat Classes.

*Secundo.* Tales Candidati sunt viri invenes, recentes, vegeti, ardore pleni, quales semper requiruntur ad primam pueritiam recte instituendam, quippe quæ per hos animum & amorem ad scholasticam institutionem concipit, cum e contrario sub præceptore, diuturnis laboribus ac pulveribus scholasticis fatiscente, moroso & incurio, non tantum non faciat optatos progressus, sed etiam tedium rerum scholasticarum literarumque capiat, sequenti ætate difficulter extirpandum.

*Tertio:* Hoc modo Seminarium quasi Magistrorum pro Scholis inferioribus suapte enascetur, quod sub peculiari cura Professoris artis pædagogicæ & Rectoris Gymnasii præclaros formare poterit insitutores publicos.

*Quarto:* Si talis præceptor spei de ipso conceptæ non satisfecerit, facile removeri & alter aptior eidem substitui poterit.

*Classis* tamen *quarta* civica, quæ ultimum quasi stadium continet pro iis, qui ad vitæ stricte civilis negotia proprius se parare volunt, continuo ac permanente Magistro providenda est, eoque gravi, exercitato & multarum notitiarum, quæ ibi iuventuti tradendæ sunt, apprime gnaro.

### C A P U T III.

#### De Scholis latinis seu Gymnasiis.

§. 16

*Quid in his spectandum?*

In Scholis latinis, vbi præcipue finis etiam ille generalis omnis scholasticæ institutionis spectari debet, formare cumpimus iuvenes,

1.) qui ad varia officia, quæ imposterum adipisci desiderant, & ad quæ *linguae latinae* notitia necessaria est, præter promtum illius usum, mentem quoque ac animum humanitatis studiis probe excultum adferant.

2.) qui *fundamentis* doctrinæ solidioris universæ in hoc Scholarum curriculo positis, postea sublimiores scientias, Philosofiam, Mathefin, Iurisprudentiam, Medicinam, Theologiam

cet.

D



cet. felicius excolere possint, seu illas ad negotiorum & munerum publicorum privatorumque rationes applicare & in vitæ usus confiertere velint, seu illis docendis, ampliusque scrutandis ac percviendis vitam impendere destinent.

Vtrisque, prout res nostræ nunc comparatæ sunt, linguae *latinae* & Auctorum, qui hoc idiomate scripserunt, classicorum notitia sincera Studiumque assiduum adeo necessarium est, ut *Scholae*, in quibus huius eruditionis suæ quasi fundamenta ponunt, inde non immerito nomen *latinarum* trahant.

### §. 17.

*Quaenam in hunc finem agenda & docenda sunt?*

Si disciplinas in hunc finem docendas rite pertractare, exercitationesque hic suscipiendas efficaces esse velimus, quinque minimum *Classes annuas* pro his Scholis constituere, inque his materias lectionum sequenti modo distribuere oportet:

*I. Classis est Grammatica.* Ad hanc transeunt tiropes *extertia Classe elementari (civica)*. Huc pertinent sequentes disciplinæ:

1.) Religionis doctrina iam magis logico ordine pertractata, ita ut totius ambitus eius conspectus exhibeat, non tantum unum aliudve caput vel fragmentum proponatur. Utendum est hic fortassis libro: *Gräße's Lehrbuch der Religion*, donec cum reliquis, quibus indigemus libris, talis etiam paretur.

2.) Institutio grammatica linguae *latinæ*, quæ iam in *tertia Classe elementari* cœperat & declinationum, comparationum, coniugationumque regularium formas, regulasque de vocum generibus comprehenderat, nunc continuetur, atque etymologica grammaticæ parte finita, generales constructionis leges exponantur. Adhiberi possunt hic: *Bröder's kleine latein. Sprachlehre pro Germanis*; & *Márton Deák nyelv Grammatikája*, pro Hungaris. Huic tamen studio sufficient duæ per hebdomadam horæ, quod hic multa domi discenda & pleraque sæpius inter legendum applicanda sunt. Quare plus temporis sibi vindicabit.

3.) *Lectio latinorum librorum*, e quibus pensa quæpiam a tironibus primo domi privata industria legi, verti explicarique debent, in *Schola* dein relegenda & emendanda; alia vero publice diligenter tractanda, explicanda & vertenda sunt. Deligendi videntur autem in hos usus a) *Schütz latein. Lesebuch* 2. *Cursus*; vel *Büsching kleiner Lateiner*; b) *Eutropii breviarium hist. rom.* c) *Langii* vel alii quicunque *dialogi*, quos pueri, posteaquam bene intellexerint, memoriter percipiant & alternatim, colloquiorum more, recitent. — Cum hac lectione coniungantur versiones, exercitationes sermonis latini extemporalis, fabularum, narrationum brevium, descriptionum, epistolarum elaborationes & correctiones; ita ut quotidie in hoc studii genere aliquid fiat.

4.) *Arithmetica* perducatur usque ad regulam Societatis & italicam, repetitis & frequenter exercitatis fractionum & regulæ trium exemplis. Adhiberi possunt hic „*Arithmeticae elementa*“ diversis linguis in Univers. Pesth. typographia edita.

5.) *Geographiae mathematicæ & physicæ elementa*, ex *Gaspari Compendii geographici cursu I.* & *Sphæra aliqua seu globo teraqueo*, vbi privata discipulos industria exercenda est describendis mappis geographicis partim ex aliis exemplaribus, partim ex imaginatione & memoria.

6.) *Historiae universalis fundamenta*; quo pertinent biographiæ virorum memorabilium, facta illustria, exemplaria virtutum, eventus singulares, inventa peculiaria — ex veteri & recentiore ævo. Hæc ad succinctam tabulam chronologicam exigantur, qualem *Niemeyer* aut *Schlötzer* exhibent. Magistris hic commendari potest: *Leben, Thaten und Meinungen merkw. Männer aus dem Alterthume*; von L. Hörsel. 3 Bände. Leipzig 1806.

7.) *Historiae naturalis* ea pars, quæ regnum animale complectitur, continuo ad technologiam habito respectu, fortassis ex *Funk's zweiter Leitfaden zur Natur Geschichte*.

8.) Studium linguae hungaricæ & germanicæ.

9.) Calligraphiæ, orthographiæ & tachygraphiæ exercitia.

10.) Declamationes.

*II. Classis est Syntaxis*, quæ cum priore Grammaticas Scholas efficit. Materiæ in hac pertractandæ sunt:

1.) *Religionis doctrina*, secundum eundem, qui in Grammatica obtinuit, librum, uberioris explicatis quibusdam capitibus & addita succincta historia religionis christianaæ.

2.) *Syntacticæ regulæ*, cum periodologia & prosodiae legibus, secundum libellos a Viro Clar. *Tekusch Posonii* 1801. editos, multum tamen emendandos.

3.) *Lectio auctorum Romanorum* continuatur, & quidem Cornelii Nepotis, & Phædri, prout & quotidiane exercitationes scriptæ vel extemporales, earumque correctio.

4.) *Arithmetica* continuatur.

5.) *Geographia politica Europæ & præsertim Hungariæ*, ac ditionum austriacarum, ad modum Cursus 2. ex *Gaspari Handbuch der Geographie*.

6.) *Historia universalis* tota, sed succincta, secundum *Schlötzer's Weltgeschichte nach ihren Haupttheilen*.


7.) Ex *historia naturali* regnum vegetabile & minerale, ad quod requiritur collectio mineralium & tabularum æri incisorum, quae plantarum species exhibeant.

8.) Studium linguae hungaricæ & germanicæ.

9.) Calligraphiæ, orthographiæ & tachygraphiæ exercitia.

*III. Classis est Rhetorica*, seu prima Humanitatis Schola; nobis alias *Secunda* dicta. Haec, cum sequentibus duabus Clasibus, plurimum ad excolendos vere iuvenum animos facere potest, si sequentium disciplinarum diligens habita fuerit ratio.

1.) *Religionis dogmatum expositio*, ex *Niemeyer's libello*.



2.) Lectio auctorum classicorum prosaicorum: *Ciceronis*, sec. Nöltingii *Chrestomathiam*, Iulii Caesaris, Suetonii.

3.) Notitia scriptorum class. Romanorum & antiquitatum Romanarum.

4.) Rhetorica praecepta, iuxta *Hassii libellum*: de caussis stili latini; coniuncta cum explicatione Ciceroniani operis de Oratore.

5.) Linguae graecae studium, adhibita Gedikii Chrestomathia.

6.) Geographia vetus, coniuncta cum historia antiqua; sec. *Budai közöns. história*.

7.) Geometria & physica elementaris.

8.) Styli continua exercitia, declamationes & recitationes locorum selectorum e prosaicis Scriptoribus latinis memoriter perceptorum:

9.) Horis extraordinariis linguae hung. exercitationes continuandae sunt.

*IV. Classis est Poësis*, seu secunda Humanitatis Schola; nobis olim *Prima dicta*. In hac docebitur

1.) Theologia moralis, sec. eundem *Niemeyeri libellum*.

2.) Lectio Auctorum linguae Romanae poëticorum, fortassis ex „*Encyclopädie der latein. Classiker*“ ubi occurunt: Plautus, Terentius, Ovidius, Horat. Virgilius. Cum his Germanorum, Hungarorumque classicorum lectio interdum coniungenda est.

3.) Notitia Scriptorum classicorum Graeciae, antiquitatum Graecarum & Mythologia, sec. *Eschenburgii Encyclop. philol. lat. redditam a Cl. Viro Stanislaides*.

4.) Poëticas praecepta, coniuncta cum Horatii carminis de arte poët. explicatione.

5.) Linguae graecae studium, adhibita *Strothii Chrestomathia* & *Facii excerptis* e *Plutarcho*, vel *Matthiae excerptis* ad hist. Graecae capita quaedam illustranda.

6.) Geographia vetus, cum historia antiqua continuatur & producitur usque ad Seculum XV. seu ad renatas literas.

7.) Psychologia empirica & Logica popularis.

8.) Styli continua exercitia & declamationes locorum e poëtis latinis memoriter perceptorum.

9.) Horis extraordinariis lingua hungarica.

*V. Classis est Selecta*, in qua iuventus, antequam ad philosophica Studia transeat, detinenda est, quo magis consummetur & hiatus ille, qui nunc tantus est inter Scholas Humanitatis & Studia philosophica expleatur. Hic igitur occupetur sequentibus disciplinis:

1.) Introductione in libros sacros, in qua de illorum auctoribus, confilio, authentia cet. & de veritate ac praestantia religionis christiana agitur.

2.) Interpretandis Auctoris Rom. & Graecis ex regulis philol. & artis criticae.

3.) Aesthetica.

4.) Exercitiis styli prosaici & poëtici vario idiomate, disputationibus philosophicis qualibet hebdomade semel instituendis,

de-

declamationibus tam latinis, quam hungaricis & teutonicis e melioribus harum linguarum Scriptoribus memoriter perceptis.

5.) Recentiorum auctorum classicorum notitia & lectione.

6.) Arte pædagogica seu educandi prolem, vernaculo sermone, pro iis potissimum, qui absoluta hac Classe e Scholis excedunt, & imposterum qua Parentes, Tutores, Ecclesiarum & Conventuum membra, Inspectores Scholarum &c. educationem inventutis vel ipsi procurare vel saltem dirigere volent.

7.) *Historia universali recentiore a Sec. XV. usque ad nostra tempora.*

8.) *Historia Hungariae speciali.*

9.) Pro Theologis Linguae hebraeae institutiones extraordinariis horis incipiendæ sunt, fortassis sec. Grammaticam *Vollborthii* Göttingæ 1788. editam.

*Observatio.* A Rhetorica inde usque ad Selectam præcipue privata quoque iuvenum industria excitanda & dirigenda est. Quod quidem optime fiet, si vnicuique Studiosorum communis lege impositum fuerit, ut vacua ab adsignatis laboribus scholasticiis tempora domi suæ vtili alicui rei elaborandæ, qualisunque illa sit, tribuat, atque huius suæ privatæ industriæ specimina altera quavis hebdomade Magistro exhibeat, denique omnia in unum pluresve fasciculos collecta tempore examinis publici Censoribus suis proferat. Hoc modo iuvenes sensim ad liberum certumque virium suarum usum ducuntur, atque ea ruminari & applicare discunt, quæ in Scholis memoria perceperunt. Ex talibus privatis laboribus optime quoque dignoscuntur ingenia & Magistris multiplex enascitur occasio ea dicendi & ostendendi, quæ alias doceri non possunt.

### §. 18.

### *Magistrorum numerus.*

Has materias Magistri quinque ita inter se partiri possent, ut quilibet eorum in duabus, tribus aut pluribus Classibüs doceret; unusque fortassis Grammaticæ, literaturæ classicæ & auctorum explanandorum officia in se reciperet; alter Religionis doctrinam, linguam hebræam cet. Id quod in Germaniæ Gymnasiis florentissimis optimo cum successu fieri scimus, cum & iucundam & utilem omnino varietatem adferat docentibus discen-tibusque, ac simul id efficiat, ut ipsi Magistri in suis studiorum generibus se magis perficere atque eminere possint. Horum tamen quinque Magistrorum primus *Rector*, alter *Corrector*, tertius *Subrector*, quartus *Syntaxistarum docens*, quintus *Grammatistarum docens*, more apud nos solito, vocari posset.



## §. 19.

*Libri scholastici & adminicula literaria.*

Qui supra memorati sunt institutionum libelli, exterorum maxima ex parte eruditorum opera conscripti, tamdiu duntaxat retinendi sunt, donec ipsi Scholarum nostrarum Magistri, qui ad hoc faciendum prœmiis extimulandi sunt, alios vibus nostris domesticis accommodatos, elaboraverint, qui postea in patria nostra typis excusi lucrum notabile adferre possunt ad Scholarum necessitates sublevandas convertendum.

Omnibus tamen modis id agendum est, vt libris scholasticis atque scientiarum *compendiis*, quæ vocant, introductis tollatur consuetudo illa multis de cauis perniciosa, Magistri verba in Scholis calamo excipiendi. Id quoque vrgendum erit, vt vbique, in omnibus Scholis, communi consensu recepti libri institutionum iidem studiose conserventur, donec meliores fortassis in lucem editi, iterum communi consensu vbique introducti fuerint.

Ad literaria porro adminicula in eiusmodi Gymnasiis apprime necessaria pertinent:

- 1.) Collectio rerum naturalium seu productorum naturæ.
- 2.) Atlas scholasticus, seu Collectio mapparum geographicarum.
- 3.) Apparatus physico — mathematicus.
- 4.) Bibliotheca Gymnasi.

## C A P U T IV.

## De Studiis philosophicis seu Lyceis.

## §. 20.

*Quid hic spectandum?*

Absolutis, quæ ad Gymnasium pertinent studiis, illi, qui ampliorem scientiarum notitiam, eruditionem ac ingenii culturam, ad graviora reip. officia recte & condigna ratione gerenda necessariam, consequi cupiunt, transire debent ad *Studio philosophicum* seu *Lyceum*. Hic partim sublimiores quasdam scientias, v. c. philosophiam, mathefin, physicam fibi penitus cognitas reddere, partim vero ad iurisprudentiam, scientias politicas, artem medicam, theologiam, solide addiscendas sese melius ac proprius præparare possunt.

## §. 21.

*Quaenam in hunc finem agenda & docenda sunt?*

In tali instituto, vbi maturi beneque exercitati adolescentes prælectiones excipiunt, haec non modo contracta magis orati-

tione, præcisoque stilo, sed etiam celeriore progressione, magis academico more, haberi, adeoque citius absolvit possunt, ita ut quælibet scientia non ultra semestre protendatur. Hac ratione intra biennium a duobus tribusve Professoribus & uno Collaboratore sequentes tradi possunt scientiæ:

## ANNO I.

## ANNO II.

- |   |  |
|---|--|
| 1.) Psychologia empirica &<br>Metaphyfica.                                    | 1.) Philosophia practica.                              |
| 2.) Mathefis pura.  | 2.) Mathefis applicata.                                |
| 3.) Historia naturæ univers. phi-<br>losophica.                               | 3.) Phyfica & œconomia.                                |
| 4.) Historia universalis media<br>& recentior.                                | 4.) Historia Hung. & Statisti-<br>ca eiusdem.          |
| 5.) Encyclopædia scientiarum<br>& artium.                                     | 5.) Historia literaria.                                |
| 6.) Theologia dogmatica.  | 6.) Theologia moralis.                                 |
| 7.) Ius ecclesiasticum Protestan-<br>tium, cum hist. religionis<br>domestica. | 7.) Iuris eccles. & hist. religio-<br>nis continuatio. |
| 8.) Auctorum. Rom. & Græco-<br>rum explicatio.                                | 8.) Historia ecclesiastica uni-<br>versalis.           |

Aliarum deinde Scientiarum, veluti sunt Archæologia, Numismatica, Diplomatica, lectiones extraordinariæ a Collaboratoribus, eo, quem infra ostendemus, modo constituendis, haberi possunt.

Præter hos tres Professores, quartus quoque, nempe artis paedagogicae & catecheticae Professor peculiaris constituendus est. Huius prælectiones, quæ lingua vernacula haberi debent, 1.) quisque literarum in Lyceo Studiosus excipere, idque testimoniis scholasticis comprobare tenetur, cum educandæ prolis principia, quorum ignoratio tanta mala produxit, quilibet pater, tutor, Scholarum Inspector cet. cognita habere debeat. 2.) Præcipue vero illi, qui imposterum seu Ludimagistri rurales, vel elementares civici, seu docentes qualescumque educatoresque publici vel privati, seu Ministri Ecclesiarum evadere cupiunt. Quare communi omnium Ecclesiarum & Superintendantiarum decreto solenni firmiter statuendum foret, ne quisquam amplius seu in VD. Præconem, seu in Ludimagistrum, seu in Professorem cuiuscunque Scholæ assumatur, qui de his prælectionibus diligenter & bono cum successu absolutis testimonia exhibere non potuerit.

Studium linguae hungaricae horis extraord. docebitur, fortassis ab eodem Magistro, qui in Gymnasio illud tradere solet.

Theologiæ Professor simul etiam Theologiæ Studiosos linguae hebrææ studio occupabit, & ad exegesin V. T. præparabit.



## C A P U T V.

### De Studiis theologicis.

§. 22.

Theologis tandem, qui ob defectum subsidiorum vitæ, Germaniæ Academias adire non possunt, vt ibi ampliorem & sublimiorem, qualem maiorum Ecclesiarum ac Scholarum nostrarum rationes necessario exigunt, culturam atque eruditionem sibi comparent, alio modo hic prospiciendum est.

In duobus nempe (pluribusve) Lyceis nostris constituedus est etiam *vetus Professor Theologiae ordinarius*; huicque adnectendi sunt *Professor artis paedagogicae & catecheticae*, qui in Lyceo est, & *Collaboratores* aliqui ex Candidatis a Germaniæ Academiis reducibus. Hi, opera fortassis V.D. Ministrorum adiuti, sequentia Studia intra biennium docere possunt:

- 1.) Exegeſin Novi Testamenti.
- 2.) Exegeſin Veteris Test.
- 3.) Pericoparum evang. & epist. practicam homiletico catecheticam tractationem.
- 4.) Librorum symbolicorum brevem historicam & dogmaticam expositionem.
- 5.) Prudentiam pastoralem.
- 6.) Homileticam.
- 7.) Historiam dogmatum.
- 8.) Theologiae dogm. & moralis repetitionem, cum examinatoriis.
- 9.) Exercitia continua in Sermonibus Sacris & catechesibus.
- 10.) Artem paedagogicam & catecheticam alioquin audire debent Theologi, vna cum Philosophiae Auditoribus.

## C A P U T VI.


### De Studiis iuridicis.

§. 23.

Cum nobilis iuventutis nostrae ea ratio habenda esse videatur, vt Iuris patrii, in nexu cñm aliis studiis, quae eam religionis suae apprime gnaram amantemque reddant, in Scholaris evangelicis absolvendi occasionem habeat, vbi etiam pauperiores adolescentes tum alumneorum, convictuumque beneficiis facilius ali, tum vero propriis impensis levioribus se ipsos sustentare possunt, quam iis in locis, vbi RCatholicæ sunt Academiae: etiam *iuridica Studia seu Lycea* constituenda esse patet illis in vrbibus, vbi id seu ex amplioribus Ecclesiae alicuius redditibus, seu ex Aerario A. C. additorum publico pro Scholarum nostrarum necessitatibus pothac conflando fieri poterit.

In hos autem fines requiruntur tres mininum Professores, qui sequentes rite tradant scientias:

AN-

**ANNO Imo.**

- 1.) Ius naturæ & gentium universale, cum Iure publico universalis, & hoc absoluto
- 2.) Ius publicum Hungariæ.
- 3.) Politiae, commercii & rei ærariæ scientias.
- 4.) Encyclopædiam politicarum & iuridicarum scientiarum.

**ANNO IIdo.**

- 1.) Historiam præcipuorum Europæ regnum ad nostra vsque tempora, Staaten-Geschichte.
- 2.) Statisticam omnium Europæ regnum & Americæ Statuum confederatorum.
- 3.) Artem diplomaticam.
- 4.) Historiam Hung. vere pragmaticam.

**ANNO IIItio.**

- 1.) Ius gentium Europæ positivum.
- 2.) Ius patrium civile.
- 3.) Ius patrium criminale.
- 4.) Praxin iuridicam cum stilo curiali.


Horis extraordinariis quoque ius fendale, cambiale, montanum cet. doceri possent.

**A P P E N D I X.****§. 24***De examinibus publicis.*

Examina instituantur 1.) quolibet mense per Rectorem & vnum Professorem in omnibus Classibus 2.) quolibet Semestri publice ac solenniter in præsentia arbitrorum, hospitum cet. & quidem I<sup>ma</sup> & seqq. diebus Februarii, ac I. & seqq. diebus Iulii. Ad hunc solennem actum singulari programmate Rectoris, utile aliquod thema pertractante ( fortassis typis vulgando ) extranei quoque invitandi sunt. In his examinibus singuli quique iuvenes ordine alphabeti provocandi interrogantur *ex omnibus studiis* elapso semestri pertractatis. Examinantur vero a Professoribus suis, sed vel ex adsignato per aliquem arbitrorum capite scientiæ pertractatæ, vel extractis forte schedulis, quibus quæstiones adscriptæ sunt, interpositis sæpe per extraneos cœnores quæstionibus.

Relationes de semestralibus examinibus & inde facta classificatione, seu tabulæ censurarum de pertractatis elapso semestri in qualibet classe studiis, de profectibus ac moribus iuventutis, quilibet semestri Inspectioni locali, ac per hanc distrituali submittantur.

Testimonia scholastica, sine quibus nemo unquam ad scholas publicas, nisi primo ad eas accessu, recipiatur, eam præ se ferant formam, quæ apud R. Catholicos viget. De fide ac sinceritate eorum Professores singuli cavere debent.



## §. 25.

*De Feriis scholasticis.*

Feriæ scholasticæ, quarum iusto maior frequentia & diuturnitas apud nos invalescens neque industriam Evangelicorum vbique laudatam decet, neque rebus nostris angustis convenit, restringendæ sunt ita, vt qualibet hebdomada, præter diem Domini, tantum diebus Mercurii & Sabbathi vacet postmeridiem a lectionibus. Reliquæ vero maiores feriæ tantum finito examine secundo semestrali sex hebdomadis durent.

Quod ad tempus harum feriarum attinet, rationes permultæ diæticæ & psychologicae suadent, vt illud a 15. Iulii usque finem Augusti definiatur, id quod nunc etiam Universitas Regia a Sua Majestate gravissimis rationum momentis exorat.

*De Studio linguae hungaricae vid. Opinio annexa Illustr. Dom. L. B. Alexandri Prónay.*

## C A P U T VII.

*De Scholis puellarum.*

## §. 26.

*Quid in his spectandum?*

In scholis puellarum institutioni publicæ destinatis id præcipue curandum est, vt proles sexus sequioris non modo sinceris clarisque notionibus rerum, ad vitam honeste, tranquille ac iucunde agendum pertinentium, instruatur, sed & intelligens, pudica, proba, industria efficiatur, vnde habiles, perfectæque formentur confortes, matresque familias, a quarum indole bona maximam partem omnino melior teneræ sibi educatione, familiarum prosperitas & civitatis salus pendet. Quamdiu tales scholæ sufficieni numero in patria nostra institutæ non fuerint, educatio domestica, quæ tamen basis est educationis publicæ, semper magis deficiet, & morum perversitatem maiorem secum trahet.

## §. 27.

*Quaenam in hunc finem agenda & docenda sunt?*

1.) In scholis puellarum ruralibus fere omnia eadem tractanda esse videntur, quæ supra pro elementaribus puerorum scholis præscripta sunt. Quoad methodum tantum hæc differentia observanda foret, ut in tradendis atque explicandis singularis argumentis semper respiceretur destinatio puellarum, quæ an-

ancillæ, heræ, consortes, matres, ægrorum infantumque curatrices cet. esse debent. Ad domesticam denique œconomiam, mercium cognitionem, & ad operas muliebres primæ necessitatis quoque manuducendæ sunt, vbiunque id fieri potest.

2.) In vrbibus vero harum Scholarum minimum *duæ Clafses* constituendæ sunt, quarum


I<sup>ma</sup> hæc tractabit: a) attentionis, intellectus & sensus communis exercitia.

- b) legendi promte & c) recte nitideque scribendi artem.
- d) arithmeticam, præcipue memorialem.
- e) religionis practicæ cognitionem sensumque.
- f) aliquam naturæ, eiusque productorum ad œconomia m pertinentium notitiam.
- g) aliquam telluris, patriæque cognitionem.
- h) diæteticæ regulas maxime necessarias.
- i) alias physicæ & moralis educationis regulas.
- k) Operas nuliebres primæ necessitatis.

Hac classe, quæ biennio terminatur, absoluta puellæ pro servili vel etiam inferiore civili statu destinatæ dimitti & ad S. Cœnam adduci possunt. Quo vero ampliorem mentis animi que culturam consequi, operasque muliebres subtiliores elegantioresque condiscere cupiunt, transeant ad

II. Clafsem, vbi in sequentibus exercendæ sunt:

- a) in imaginationis & iudicii vñu recto, vbi simul recta ratio libros apta vocis modulatione & cum fructu legendi ostenditur, & variæ notitiæ, e. g. mythologia, explicantur.
- b) in cognitione uberiore legum naturae &
- c) historiae naturae, potissimum hominis.
- d) in diaeteticæ regulis amplioribus.
- e) in linguae german. & hung. grammatica populari.
- f) in geographiae & g) historiae universalis primum, tum vero domesticae notitia tali, quæ muliebri destinatio ni accommodata sit & sufficiat.
- h) in educationis tam physicæ, quam moralis & intellec tualis principiis popularibus & sanis. Quibus enim haec magis scitu necessaria sunt, quam futuris matri bus, nutricibus cet. quarum curae prima liberorum educa tio atque adeo primæ impressiones per omnem vitam duraturæ con creduntur!
- i) in calligraphia & orthographia.
- k) in arithmeticæ memorialis vñu, sed in scriptæ specie bus amplioribus, potissimum in regula trium.
- l) in stilo puro ac perspicuo, sermonis germ. & hung. præ sertim in epistolis & narrationibus.
- m) in Operis muliebribus subtilioribus — coniunctis cum arte delineandi.



## §. 28.

*Cui haec institutio credenda est?*

1. In pagis quidem & oppidis, quæ plures magistros honeste sustentare non possunt, puellae easdem cum pueris scholas frequentare, eodemque modo erudiri debent.

Gravissimæ tamen rationes suadent, ut vbi cunque fieri tantum possit, scholæ separatae puellarum constituantur & quidem directioni atque institutioni vnius Magistrae (Tanitó Afszony) consreditæ, quæ omnes materias in elementaribus scholis puerorum tractandas, hic doceat, & simul discipulas in operis muliebribus exerceat. Doctrinam relig. puellis tradendam V.D. Minister suscipere posset.

2. In vrbibus seorsim Scholæ tales omnino necessariae sunt. Has tamen, sub inspectione stricta localis Conventus & Directoris, Matronæ alicui intelligenti, peritæ ac probæ credere oportet, quæ praeter labores muliebres etiam vnam aliam ve artem ac scientiam doceat. Sub directione vero eiusdem aliae lectiones habeantur ab uno pluribusve institutoribus propriis, peritis tamen & bene moratis.

## SECTIO SECUNDA.

### De Gubernatione rei scholasticæ.

#### CAPUT I<sup>um</sup>.

##### De iis, qui rei scholasticae præsint.

## §. 29.

*In Scholis ruralibus.*

In qualibet Ecclesiâ, quæ Scholas tantum habet elementares, directio scholæ tam in matre, quam in filialibus, convenit V.D. Ministro illius loci; inspectione ad Inspectorem Ecclesiae alioquin pertinente.

Si plures in tali Ecclesia sint Curiones sacri, vni eorum per Senioralem Conventum est concredenda haec directio, se-  
cūs enim nullus eorum omnino ad se eam pertinere existimans, alter in alterum onus devolvere conabitur. In pluribus etiam sœpe unitas confiliorum, hic admodum necessaria, non sine gra-  
vi detimento Scholarum, desideratur.

In

*In Scholis vero pagorum vel oppidorum grammaticis vel humanioribus Rector Scholae dirigit negotia scholastica interna, collatis semper cum collegis consiliis. Subest vero Inspector & Conventui Ecclesiæ, vna cum Collegis.*

Scholas has tam elementares, quam latinas rurales lustrabunt *Decani*, qui cum Directoribus localibus frequentissimum fovebunt literarum commercium & quolibet semestri de statu Scholarum Decanatus sui tabellares relationes Inspectioni seniorali submittent.

Hæc *Inspectio Senioralis* constat ex Inspectore Seniorali, Seniore & vtroque Seniorali Notario atque Decanis, qui Viri confessus scholasticos, quoties opus fuerit, celerabunt. Hinc omnia referuntur ad *Inspectionem districtualem*, quæ penes *Superintendentiam* est; hæc vero cum *Suprema Inspectione Scholarum Evangelicarum A. C. in Hungaria* continuo iungitur nexu & commercio literario.

§. 30.

*In Scholis civicis.*

His scholis, quæ tantum in maioribus urbibus penes Gymnasia & Lycea locum habent, præficiendus est, *Director*, qui simul sit Professor pædagogicæ & catecheticæ artis in Gymnasio vel Lyceo; ceterum vero locali Conventui cuius membrum est, suas præstet relationes, per hunc ad *Superintendentiam* dimittendas.

§. 31.

*In Scholis Latinis.*

Gymnasiorum Directores iidem sint, qui Rectores, quorum munus vt inter Professores humaniorum Scholarum alternet, multæ rationes suadent. Hi in confessu cum ceteris Professoribus ac Magistris de rebus ad Gymnasium pertinentibus quilibet hebdomade minimum semel consultabunt, & in doctrinæ argumentis directe cum *Superintendentia* corresponebunt, in rebus vero œconomicis, politicis & disciplinaribus a locali Conventu, ac per hunc itidem a *Superintendentia* pendebunt.

In Lyceis autem philosophicis, iuridicis & theologicis unus Professorum Decani munere annuo fungens, mutua Professorum consilia, quæ in confessibus suis conferunt, exequitur, & relationes suas *Superintendentiae* directe submittit. Eligitur vero Decanus quotannis a Professoribus 2da Januarii, eique hoc munus in conspectu Auditorum totius Lycei condigna solennitate traditur.

Inspectio tam elementarium civicarum Scholarum, quam Gymnasiorum & Lyceorum ad localem Conventum & Inspecto-



rem pertinet, qui immediate cum Districtuali Inspectione de his negotiis agere debet.

## C A P U T II.

**De officiis eorum, ad quos Gubernatio rei scholaſt. pertinet.**

§. 14.

*De officiis Directorum.*

Ad directionem Scholarum pertinent:

1.) amica confilia ratione methodi, quam præceptores in iuventute instituenda & regenda sequi debent.

2.) Disciplina scholaſtica interna, quæ eo præcipue pertinet, vt iuventus probos sequatur mores, vt omnia Studia in illis Classibus, quibus adsignata sunt, eo temporis spatio, quod illis tributum est secundum hoc Systema, diligenter tradantur; definito tempore Scholarum fiat initium & finis; — omnesque docentes officiis suis rite fungantur, & quæcunque præscripta sunt, recte fiant.

3.) Exhortatio iuventutis, eumque in finem crebra Scholarum iuſtratio.

4.) Conatus, Parentum, præſertim rusticorum, animos permovendi, vt prolem suam diligenter ad scholas frequentandas adstringant, omniaque ea peragant, quæ ad educationem publicam domi quoque efficacem reddendam pertinent. — Parentes autem ad hoc adduci possunt: a) si recte ſæpiusque edoceantur de necessitate ac vtilitate institutionis educationisque proliſ ſuæ. b) auctoritate regiorum mandatorum dd. 3. April. 1795. & dd. 23. Jun. 1802. — c) si per Generalem Conventum statutum fuerit, vt nullus puer, nulla puella prius ad S. Cœnam admittatur, quam absolutis elementaribus classibus; nulli neofponsi copulentur, qui de absolutis ſcholis elementaribus testimonia producere nequeant. d) auctoritate regii mandati dd. 4. Sept. 1788. quo præcipitur, vt nullus puer pro tirocinio recipiatur, niſi testimonio fideſigno proviſus, quod ſcholas frequentaverit, artemque legendi & ſcribendi recte perceperit.

5.) Receptio adolescentum in numerum discipulorum aliquius Classis; ubi præcipue id religioſe curandum est, ne quis recipiatur aut translocetur ad aliquam Classem prius, quam materias & ſtudia præcedentis Clasoris ex aſſe teneat.

6.) Præſentia in Examinibus, quorum tempus pro ſingulis Classibus, consultis earundem Docentibus, ab ipſo defixum Inspectori locali & Seniorali vel districtuali significabit, eosdemque ſimul ad illud invitabit.

7.) Operæ collatio ad tabellas relationum & cenzurarum, in ſcholis ruralibus elementaribus quotannis, in latinis & civi- cis quolibet ſemestri Inspectioni Seniorali per Decanos exhibendas, quas nominis ſubſcriptione firmabit.

8.) Te-

8.) Testimonia scholastica secundum tabulas censurarum extradare, & iis, qui morum probitate, diligentia & sufficienti scientiarum cognitione prædicti sunt, facultatem tribuere, domesticos agendi præceptores.

§. 33.

*De officiis Inspectorum localium.*

Inspectoratus Localis pertinet ad Conventum Ecclesiæ eiusdem loci, quæ Scholam suis impensis sustinet; Conclusa huius Conventus Inspector exequitur.

Ad Inspectoratus vero localis partes referenda sunt:

1.) Cura Scholæ externa.

2.) Disciplina scholastica publica, seu politia externa; quo pertinet, vt publica, coram tota iuventute scholaſt. infligenda poena, absque scitu & annutu ipsius non determinetur; vt turbatores pacis & quietis publicæ puniendos curet, vt parentes omnibus modis adigat ad prolem diligenter in Scholas mittendam cet.

3.) In Conventu locali Magistros & Professores pro vocantibus Cathedris Scholæ suæ candidare ac designare; designatos vero Inspectioni Superintendentiæ pro confirmatione propone.

4.) Subscribet etiam tabellis relationum semestralium.

5.) Docentium auctoritatem tuebitur; iniurias ab illis arcebit, lites inter ipsos, aut cum Ecclesiæ membris ortas componet cet.

§. 34.

*De officiis Decanorum.*

Hi scholas Decanatus sui rurales, tam elementares, quam latinæ, quolibet anno minimum semel, vel si fieri potest, sèpius lustrent; consilia, decreta, mandata Superiorum communicent; singulis annis finito examine publico statum & literarium & cœconomicum scholarum singularum & fundationum ad eas pertinentium in Conventibus ea de causa celebrandis per vestigent, rationes revideant atque relationem Superintendentiæ præsentent. Si qua non ex præscripto recte fieri deprehenderint, cohortationibus, consiliis aliisque modis prudentiæ humanitatique congruis medelam adferre conentur; omnia tamen ad Senioralem Inspectoratum referant.

§. 35.

*De officiis Inspectionis Senioralis.*

Inspectio Senioralis, cuius membra paulo supra indicavimus, Consensus Scholasticos, quoties opus fuerit, celebrabit, ordines a Districtuali Inspectione acceptos ad Decanos dimitte, ab his acceptas relationes examinabit, ad Superinten-



dentiam referet, in emolumentum Scholarum consultabit, quæ relis sapienter modum ponet & providebit, ut in Scholis Senioratus sui cuncta ex præscripto fiant.

Potissimum vero id curabit, ut nullo in loco, neque aliæ Scholæ, neque aliæ Classes habeantur, quam quibus ex præscripta norma rite docendis sufficient Magistri, quos vel Ecclesia illius loci honeste alere possit, vel Districtus aut Generalis Conventus ex alio fundo ibi constituere consultum esse existimaverit.

Præterea ad Senioralem Inspectionem pertinebit quam maxime, ut *privatae quoque institutioni* serio invigilet, neque permittat, ut hæc cum detimento publicæ disciplinæ & *institutionis* foveatur, sed cum illa, quantum fieri potest, coniungatur. Quare Senioralis Inspectio 1.) Parentes de necessitate & insigni præstantia publicæ institutionis atque educationis præ privata edocere, tristiaque consectaria ob oculos ponere conabitur, quæ in rem Evangelicam ex hoc ab aliquo tempore invalecente pruritu, liberos suos domi educandi, profluere debent & iam profluxerunt. — 2do. Non admittet, ut quisquam audeat domesticum præceptorem agere sine testimonio Scholæ, ex qua prodiit, quo clare hæc facultas illi concedatur. Quod testimonium, priusquam pædagogi munus orsus fuerit, Seniorali Inspector producere teneatur; prout etiam, si ex pædagogia discesserit, Domini, apud quem meruit, & Senioralis Inspectoris vel Senioris testimonium excipere debet de mora, quam in Pædagogia & quo modo extraxerit.

Eodem modo cuncta instituta pædagogica, omnes scholæ privatae latentes (*Winkelschulen*) huic inspectioni subiificantur.

### §. 36.

#### *De Inspectione Districtuali.*

Eandem curam, quæ Seniorali Inspectioni relate ad Senioratus sui Scholas concredita est, *Districtualis seu Superintendentialis Inspectio* relate ad Scholas totius Superintendentiae sibi commendatam habebit. Quare etiam Confessus Scholasticos, ad quos præsertim Scholarum maiorum, quæ eodem loco habentur, Professores invitandi sunt, sæpius celebrabit. Præcipue vero Gymnasiorum & Lyceorum, quorum directa & specialis cura ad Districtualem Inspectionem pertinet, eam habere debet rationem, ut & Docentes & discentes sciant & sentiant, sibi continuo invigilari, ac Systematis introducti legumque præscriptarum & disciplinæ curam diligentem haberi. Omnibus igitur modis id aget, ut Professorum auctoritatem tueatur, eorundem industriam fervoremque docendi excitet, eos in disciplina exercenda adiuvet, legumque strictam & parem vbiique observantiam procuret. In examinibus semestralibus, quorum conspectus a Rectoribus Gymnasiorum & Decanis Lyceorum ad Superintendentiam semper prius mittendus est, ex officio comparent Deputati Superintendentiae, qui Professorum in obeundis muneribus fidem ac dexteritatem, discipulorum sedulitatem, ingeni

nii dotes & profectus in studiis moribusque, atque sic incrementa rei literariae ac scholasticæ nostræ observare & quotannis Inspectioni Generali referre obligentur. Idem Deputati Superintendentiæ Statum quoque œconomicum Scholæ totius, & fundationum eiusdem in Conventu locali ea de causa celebrando per vestigare, rationes revidere & fidam de his relationem Superintendentiæ & per hanc Inspectioni generali præstare tenebuntur.

Si qui denique Magistri ac Professores per Inspectoratus locales pro vacantibus Cathedris Scholarum suarum designati & pro confirmatione propositi fuerint, diligenter ac religiose circumspiciendum erit, vt Viri probi, morum ingeniique cultura commendabiles, docti, iuventutis literarumque amantes, ad docendam educandamque scholam illis concredendam habiles diligantur ac muneribus his gravissimis præficiantur.

### §. 37.

#### *De generali s. supremo Scholarum Inspectoratu.*

Generalis seu supremus Scholarum Inspectoratus vel cum Generali Ecclesiarum Inspectoratu coniungendus est, vel confitente debet ex *Supremo Scholarum A. C. in Hung. Directore*, uno *Actuario*, quem Salario providere oportet, & aliquot *Assessoribus*, qui omnes a Generali Superintendentiarum Conventu eligendi essent.

Huic Inspectoratui vero omnino curæ cordique esse debent maxime sequentia:

*I. Ut apti suppetant Scholarum Magistri.* Multum quidem ad parados habiles Magistros conferet, si Scholæ ipsæ, e quibus hi prodeunt, rectius fuerint institutæ. Attamen præter hanc eruditionem & culturam Scholasticam aliæ quoque adesse debent dotes in Magistro, quas adolescens tantum singulari vñ ac diligentia sibi comparare potest, cuius itaque opportunitas illi præbenda est, qui ad hoc munus aptum se reddere cupit. Consultum igitur foret omnino constituere:

a) quod iam supra proposuimus, vt in quolibet Lyceo philosophico vel theologico eiusmodi institutum pædagogicum stabilietur, quod ex uno minimum Professore, huic disciplinæ præsertim vacante, consistat, & non modo theoriæ artis pædagogicæ & catecheticæ plene addiscendæ, sed etiam practicæ eiusdem applicationis exercitiorumque instituendorum occasionem sufficientem præbeat.

b) Exemplo Fratrum Helv. Conf. iuvenes, qui in Scholis præcipue ingenio, industria, ceterisque dotibus in docente necessariis eminent, atque animum ad educandam instituendamque iuventutem propensum ostendunt, amplioribus stipendiis auctos ad exteris Academias longiore temporis spatio colendas mittere oportet, vt ibi ea plene cognoscant, ad quæ docenda in primis naturali quadam animi propensione atque ingenio ferantur. Ita licebit etiam coercere mendicationem, (albisationem dicunt) Studiosorum nostrorum, qui exteris adire



cupiunt Academias, quam multis de causis rei evang. noxiā esse vident acutiores.

c) Candidati omnes, tam Magisterii, quam ecclesiastici munieris, ab exteris Academiis reduces, per integrum annum stipendio suo provisi, in Schola illius Districtus, a quo Stipendio adiuvabantur, qua *Collaboratores* publicas dare institutiones in diversis scientiis teneantur, neque illis permisum sit, cuicunque muneri se ante addicere, quam hunc annum exegerint. Ita fiet, vt Professores in Lyceis continuo habeant viros, qui vires eorum, morbis aut alia gravi causa impeditorum, suppleant; vt Candidati hi melius noscantur; vt hi quoque tali exercitio magis præparentur pro docentibus, & ita sensim Seminarium quasi Pædagogorum, Professorum ac Ministrorum Ecclesiæ stabilatur.

d) Docentibus Scholasticis iusta tribuatur dignatio atque ea, quam muneris huius gravitas ac vis ad reip. salutem meretur, æstimatio, quæ maxime nobilis quoque ac generosæ indolis præstantisque ingenii iuvenes ad hoc munus amplectendum exstimulabit. „Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur, — quo minus igitur honoris erat illis, eo minora studia fuerunt,“ ait Cicero in Tusc. quæst. I, c. 2. — Quapropter etiam Rectoribus ac Conrectoribus Gymnasiorum, Decanisque Lyceorum, in Conventibus Ecclesiæ locus ac suffragium concedatur; id quod ad incrementum literarum apud nos necessarium esse nemo prudens non videt, cum in aliis quoque rerum generibus prudentia suadeat, ut iis, qui aliquam artem profitentur, de rebus ad hanc pertinentibus, potissima iudicandi detur facultas.

e) Magistris, præsertim inferiorum Scholarum, meliora dentur salario; neque amplius admittatur, vt ea ipsi emendicent ostiatim cantando vel colligendo, verum alii constituantur talium symbolarum, quas singula Ecclesiæ membra conferre tenentur, veluti & didactorum, minervaliumque Collectores, a quibus tandem docentes ea summatim percipient. — Sed & altiorum Classium docentibus iusta tribuantur Stipendia, quo vitæ subsidiis & adminiculis scientiarum sufficienter provisi, cum voluptate operari, seque totos muneri atque officio tam arduo devovere possint; secus illud eveniet, quod *Iuvenalis* ait Satira VII, 203.

Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ.

*II. Ut hi officiis suis satisfaciant.* Quod fiet, si non tantum negligentes, improbi, inepti Magistri ac Professores debito modo puniti, amoti aut translati fuerint; sed maxime si id effectum fuerit, vt quisque cum voluptate & gaudio laboret. Id vero eveniet, si

a) Suprema Iespectio omnibus modis caverit, ne obvii. quicunque, vagatores, ebrii, rudes, ad omnia inepti, suscipiantur Magistri, qui necessitate coacti tantum in hoc munere ab inedia & interitu vitam servare volentes, non amore iuuentutis aut officii tui tales suscipiant labores.

b) Si Ludimagistris certa fuerit data spes, fore, vt a diligentia, probitateque cogniti, meritis suis viam ad munus V.D. Ministrorum sibi parent.

c) Si id factum fuerit, quod numero præcedente lit. d) & e) dictum est.

d) Si emeritis Docentibus de pensione prospectum fuerit. Iniquum enim est, vt postquam vires oneribus scholast. ferendis attrivissent, gravi demum senectute oppressi, maximo cum respectu rei literariæ, mendicando vitæ præsidia quærere cogantur.

*III. Ut disciplina scholastica vbique sancte observetur.* Disciplina hæc talibus legibus describenda est, quæ sensum humanitatis in iuventute nequaquam suffocent; negligentiae tamen, licentiæ, vagationibus, atque indecentibus, & pravis actionibus modum ponant. Hæ vero leges quotannis bis, sub initium nempe Octobris & Martii, solenni ritu, & oratione ab aliquo Professore dicenda, prælegendæ & commendandæ, in omnibus scholis eadem prorsus sint, & *vbique* severe observentur; quia laxatis uno loco frenis, aliæ scholæ omnes sensim remittere debent, vnde tandem communis iterum oriatur disciplinæ dissolutio necesse est.

*IV. Ut Systema rei scholasticae*, a cunctis Superintendentiis adoptatum, atque omnibus Scholis nostris præscriptum, debite ac religiose observetur. Quare ad Supremum Directorem ab omnibus Superintendentiis semestrales de statu Scholarum relationes mitti debent; ab illo in gravioribus negotiis confilia, defectuum nævorumque communium medelam expetere oportet. Cum tamen hoc systema, tamquam institutum ab hominibus profectum, tum vitiis longiore vnu animadvertis laborare, tum vero mutatis temporum adjunctis fini proposito amplius non congruere possit, quinto vel sexto quolibet anno novæ censuræ per Deputationem scholasticam, a Generali Conventu ordinandam, subiiciatur, quo nævi interea temporis observati emendari, defectusque suppleri queant.

*V. Ut fundus, seu certi redditus adsint*, vnde necessitatibus scholarum provideri possit, quibus proventus, quem singulæ Ecclesiæ suis tribuunt scholis, non sufficit. Hi vero conflari possent:

a) Si Sua Maiestas Sacratissima exorata fuerit, vt Evangelicis ad eundem modum, qui Græci ritus non unitis concessus est, liceret e. gr. per 6 annorum defluxum a quolibet contribuentे evang. minimum 6 xros annue exigere, valentioribus & Nobilibus libera beneficiendi voluntate reicta. Vel *Collecta aliqua generali per duos annos instituenda*. Cum Evangelicorum A. C. Corpus in Hungaria 800,000 hominum constet, licet sane in eam spem venire, vt intra biennium totidem floreni colligantur ad constituendum fundum Scholasticum. Nam et si singulus Evangelicorum per vnum florenum conferre vix posset, reliquum tamen defectum pensaret opulentiorum liberalitas. In hunc finem ordinanda essent in qualibet Ecclesia quovis anno sic dicta *Offertoria quatuor*; Ministris vero Ecclesiarum id demandari deberet, vt suis auditoribus hanc liberalitatem gravi-



ter commendarent & eorum symbolas gnaviter colligerent, ita, vt quot floreni pro numero animarum suæ Ecclesiae deessent, tot opulentiores ad eos pensandos excitarent, nec prius desisterent collectionem instituere, donec summam florenorum æquantem numerum animarum, plane compararent. Idque eos tanto ferventiori studio acturos confidere licet, quanto certius est, quod & illi in matres Scholas, quæ eos quoque aluerant & instituerant, gratos semet præstare, simulque cogitare debent, Ecclesiæ tum demum stare posse, si steterint Scholæ; his vero ruentibus & illas corruere debere. Hoc fundo tali, intra biennium collecto & pro censu elocato, essent reddituum 40,000 florenorum. —

b) Si confilium illud adoptatum fuerit, quod iam anno 1790. Typographus Posoniensis, S. P. Weber, Synodo nostræ proposuerat, vt scil. uni alicui typographo facultatem exclusivam a Sua Maiestate impetrandam concederemus, nostros libros scholasticos & ecclesiasticos imprimendi ; pro qua facultate ille a singulis centum florenis, quos ex libris his divenditis perciperet, 20 florenos Fundo nostro scholastico penderet. Qui provenitus sane haud esset contemnendus, præsertim cum absque vlla impensa nostra accederet.

Ex hoc fundo possent

- 1.) Professores recenter constituendi Stipendiis auctorari.
- 2.) Iuvenibus egenis eminentioribus stipendia tribui.
- 3.) Magistris rude donatis pensiones dari.
- 4.) Apparatus instrumentorum & Collectiones variæ pro Scholis comparari.
- 5.) Bibliothecæ Gymnasiorum & Lyceorum instrui. cet. cet.









